



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Novariensi Capitvlo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

## NOVARIENSI CAPITVLO.

Epif. 51.  
De electione  
Episcopi No-  
variensis.

\* vocabatur  
Odelbertus.

**A** Vditis olim & intellectis quæ à procuratoribus partium super duabus electionibus in veltra Ecclesia celebratis fuere proposita coram nobis, de communi fratribus nostrorum consilio electionem factam de Præposito sanctæ Mariæ cassavimus, & electionem de \* Præposito sancti Gaudentij celebratam duximus confirmandam, si quoddam instrumentum reprobatur infra temporis certum spatium contra ipsum super cuiusdam arbitrij forma productum, quod venerabili fratri nostro Archiepiscopo Ianuensi & dilectis filiis de Tillieto & de Ceretro Abbatibus sub bullâ nostra misimus interclusum. Ipsi verò receptis probationibus exhibitis coram eis, causam sufficienter instructam ad nostram audientiam remiserunt. Procuratoribus igitur partium in nostra præsentia constitutis, & auditis hinc inde propositis, quia per ea quæ contra prædictum instrumentum objecta sunt & ostensa idem adeo redditum est suspectum quod ad fidem in iudicio faciendam debet invalidum reputari, & ita reprobatum quod ad illud ad quod probandum erat inductum, cùm priora sint jura ad absolvendum quam ad condemnandum, electionem factam de prædicto Præposito sancti Gaudentij confirmavimus; per apostolica scripta vobis præcipiendo mandantes quatenus ipsi obedientiam & reverentiam debitam impeditatis, eidem reverenter in spiritualibus & temporalibus intendentibus. Alioquin venerabili fratri nostro Vercellensi Episcopo apostolica sedis Legato nostris damus litteris in mandatis ut vos ad id monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant. Datum Laterani XII. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

*Illi scriptum est super hoc, verbis competenter mutatio.*

## DE SPINA ET DE VRSARIA

Abbatibus Placentinensis & Aurienis  
diocefsum.

Epif. 52.  
De absolu-  
tione Regis Por-  
tugallie.  
Vid. lib. 15.  
Epif. 117.

**A**Ccepimus ex litteris vestris quod cum causam quæ inter illum et Regem Portugalliae ex parte una & nobiles mulieres Tarasiam & S. forores ipsius ex altera super castris Montissimioris & Alander, dannis & rebus aliis vertitur, sub certa forma vobis duxerimus committendam, vos ad locum debitum accedentes, cum vellatis ad Regis & regni absolutionem

procedere, dictæ Regis sorores proposueri per litteras scriptum apostolicum vobis exhibitum falsitate suggesta & veritate tacita impertratum, & ad hoc probandum locum securum & competentem terminum postularunt. Vobis autem de prudentum virorum consilio diem & locum congruum eis & Regi volentibus assignare, Rex ex hoc assérens se gravari, cum crederet se ac regnum suum præstio juramento quod nostris pareret mandatis ab excommunicationis & interdicti sententis sine dilatione absolví debere, petiit & impetravit a vobis ut totum negotium ad nostram audienciam referretur. Constitutis itaque procuratoribus partium coram nobis, & auditis hinc inde propositis, utrique parti volentes in sua justitia providere, discretioni vestrae per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus accedentes ad iocum & recepto ab ipso Rege corporaliter iuramento quod super iis pro quibus excommunicatus existit & terra ejus supposita interdicto nostris mandatis absolutè parebit, excommunicationis & interdicti sententias relaxetis, inter ipsum & predictas sorores ipsius treugarni fcedera statuentes, quæ juramentis & alii idoneis cautionibus faciat utrinque firmari, & ad illa firmiter observanda eos per distinctionem ecclesiasticam sublatu contradictionis & appellationis obstaculo compellatis, ut nec per se nec per alios sibi invicem nocere præsumant, ac deinde facientes utrique parti de manifestis damnis & injuriis satisficeri competenter, super dubiis audiatis quicunque duxerint proponenda; & nisi per vos inter eos amicabilis poterit concordia reformati, causam sufficienter instructam ad nostrum remittatis examen, prafigentes partibus terminum competentem quo nostro se conspectui repræsentent mandatum apostolicum receptura. Vos denique filij Abbates &c. Datum Laterani XII. Kalen. Iunij, pontificatus nostri anno decimo sexto.

## ABBATI DE CARRARIA

Paduanæ diocefis, & Archipresbytero  
Paduano.

**M**Artini clericu, qui se olim pro Ar-  
chipresbytero plebis de Sacco ge-  
rebat, pluribus nota majitia transire non  
debet inulta: quoniam latum pandit delin-  
quentibus sinum qui non condemnat erra-  
ta, & nutrit in perveris impunitas auda-  
ciam delinquendi. Sufficisse quidem ei po-  
terat ad infamia suæ notam quod auto-  
Epif. 53.  
Adversis im-  
petrarent refo-  
criptum per  
obrepitionem.

EEee iii